

Padue in eo statu in quo nunc est, salvis tamen munitionibus in ipsa turri existentibus et aliis mobilibus, que dictum commune Veneciarum in dicta turri haberet que de dicta turri extrahi facere possit. Item super facto confinium fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod pax nova ultimo inita in millesimo trecentesimo LXXIII. Indictione XI. die XXI Septembris inter dictos dominum ducem et commune Veneciarum ex una parte, et dictum dominum Franciscum de Carraria dominum et commune Padue ex altera. Nec appositio seu declaratio terminorum vigore dicte pacis facte, quoad dictos terminos non obsit, nec prospicit, nec prejudicet alicui ipsarum partium, sed predictis non obstantibus dicti termini de novo apponi debeant in illis locis, in quibus juste et racionabiliter stare debent; ita quod per predicta non prejudicetur nec in aliquo derogetur aliquibus pactis seu conventionibus factis inter dictas partes ante dictam pacem de dictis confinibus facientibus mentionem. Quibus pactis et conventionibus de dictis confinibus loquentibus ille vel illi, quis vel qui dictos confines apponere debuit vel debuerunt, se debeant quantum poterunt conformare. Quibus pactis ante dictam ultimam pacem factis inter partes predictas de dictis confinibus loquentibus et quoad dictos confines per predictam pacem ultimam seu per aliqua in ipsa contenta, non intelligatur in aliquo derogatum, sed sint in ea firmitate, in qua esse debeant ante dictam pacem. Item super eo quod per alteram dietarum partium petebatur, quod pactum assassinorum et pactum bannitorum, que inter dictas partes vigebat, tollerentur vel equaliter servarentur. Actum et conventum fuit inter dictas partes, quod pacta et conventiones super predictis inita et facta inter dictas partes ante supradictam pacem ulti factam inter easdem partes debeant inviolabiliter observari, custodiri et executioni mandari. Item super eo quod per alteram dietarum partium petebatur, quod coloni Venetorum habitantes in districtu Paduano tenerentur onera et factiones subire, sicut faciunt alii coloni civium Padue, actum fuit et conventum inter dictas partes